



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

34. Quidnam iuris, & potestatis habeat dominus in seruum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

*Et nota C. de Episcop. & Cleric. l. ex totū tantum habet in his Iudæis & Paganis, qui sunt Principum Christianorum ditioni subiecti, quos ob bonum fidei & religionis Christianæ ipsi Principes iure & dominio in seruos Christianos spoliaré merito queunt. Item, in l. unica. C. ne Christianum mancipium, statuitur: si Iudæus mancipium suum à fide Christiana alienum circumciderit, eo ipso eius seruitute priuatur: quod etiam locum habet in Iudæis, qui sunt Christianis Principibus subiecti. Item, si quis seruum suum hæredem instituat, vel tutorem filio suo relinquat, non ignorans eum esse seruum suum, eo ipso eum libertate donare intelligitur. *l. Quidam. C. de necessariis seruiciis hereditatis institutis. §. Idem quoque iuris. l. c. in l. vltim. C. Communia de Manumissis. habetur: Si vir solutus suam ancillam habuerit concubinam, & cum ea eo pacto perseverauerit usque ad mortem licet eum ancilla, tum filij, si quos ex illa suscepit, serui maneat, dum ille vivit: & liberum sit illo mortis tempore seruos illos relinquare, vel legando eos, vel pronuntiando ut hæredes serui sint: si tamen nubi de illis pronuntiat, tunc morte domini liberi manent. Si quis item suum seruum adpeter in filium, et libertatem tacite concedit. *Instit. De Adopt. §. vltim. Si quis liber eum ancilla matrimonioque contraxerit eius seruitutem ignorans, & dominus, vel illam ei iradat in matrimonium sciens, hoc est, non detegens seruitutem, vel sciens contrahi matrimonium potest non detestari seruitutem, eo ipso ancilla libertatem consequitur. In Authen. De nuptiis, §. Si vero ab initio. Et eadem iuris est de femina libera nubente seruo. Alicubi Principum leges, vel statuta populorum extant: quibus decernitur eo ipso, quod dominus matrimonium contrahit cum sua ancilla, tum illam, tum filios ex ea genitos libertatem adipisci.***

Septimo queritur, Ex quibus causis Manumissio reuocetur? Respondeo, multis de causis, præsertim vero, cum liberus est patrono ingratus, aut eum aliqua iniuria afficit. *Auth. ut liberi de castro. §. Illud collat. 6. & cap. vltim. de Donationibus.* Nam quem admodum, ut in eo capite dicitur, propter eius ingratiudinem, in quem libertas est collata, donatoris persona de rigore iuris eam poterit reuocare, si forte in ipsum impias manus iniecit, aut sibi atroces iniurias, seu graue rerum suarum damnum, vel vitæ periculum inferre præsumpserit: Sic etiam in prædicta *Auth. serui manumissi*, in seruitutem pristinam reuocantur, si ipsi à quibus sunt manumissi, honorem & reuerentiam, & obsequium non præstent, aut si eos iniuria aliqua afficiant.

Octauo queritur, An manumissio facta in fraudem creditorum, vilius sit momenti? Respondeo, nullius esse, *l. c. Qui manumittere non possunt, & inst. ex quib. causis. manumissio fiat.*

Nono queritur, quis manumittere iure possit? Respondeo, dominus, si vigesimum ætatis annum exeerit, & liberam habeat suorum bonorum administrationem, minori vero viginti annis iure non licet manumittere inter vivos, nisi ex causa: & tunc si maior fuerit decem & septem annis, *l. Si minor. C. Qui manumittere non possunt: l. vltim. de voluntate in testamento, licet domino ante vigesimum annum manumittere, si decimum quartum exeerit, C. eod. tit. l. 1. Sed hodie Episcopus itidē iure potest manumittere seruos Ecclesiæ, & alios benemeritos: dum modo tamen det Ecclesiæ pro vno duos eiusdem meriti, & peculij, *Episcopus qui mancipium. l. 2. q. 2. Item, licet etiam Episcopo seruos Ecclesiæ manumittere poterit, & misericordie causa, C. cum redemp. l. 2. q. 11. At Abbati non licet seruum Monasterij manumittere absque consensu Episcopi, & Monachorum, ca. Abbati dist. 54. Hoc locum habet in eo Abbate, qui est Episcopi potestati subiectus, non aut in eo, qui est ab eo exemptus. Et quamuis ex iure scripto nequeat Abbas seruum monasterij manumittere absque Monachorum consensu, potest tamen ratione consuetudinis, ubi cumq; ea viget, vt colligitur ex c. Nascitur, De ys que fiunt à Prelatis. Insuper si seruus sit multorum communis, potest ab vno manumitti, dummodo tamen is alios domi-**

nos damno non afficiat, *leg. 1. C. de communi seruo manumittendo.*

Decimo queritur, In quibus consistat ius patronatus, quod habet patronus in liberos quos libertate donauit? Respondeo, cum *Glossa in l. vlt. C. de Bonis liberti* in sex. Primo enim liberto non datur turpis actio in iudicio aduersus Patronum, *§. Honoris, & l. Patrem. ff. de obsequiis.* Secundo non admittitur turpis acceptio contra Patronum, *l. Apud §. Aduersus, ff. de accept. Dominorum.* Tertio libertus debet reuerentiam, & obsequium Patrono, *l. si non sortem, §. Libertus, ff. de condit. indeb.* Quarto debet libertus Patrono alimenta, si tunc ita ad egestatem redactus, *l. si quis à liberis, §. solent, ff. de liberis agnos.* Quinto, iure potest patronus libertum in seruitutem pristinam reuocare, si ab eo fuerit iniuria affectus: vt dixi. Sexto, patronus ius habet in bonis liberti succedendi: hæc ratio libertus debet ei relinquere tertiam suorum bonorum partem, si ea bona centum aureos exsuperent, & libertus careat filiis, cum dedit: si vero in bonis minus habeat quam centum aureos, nihil debet patrono dimittere, quod si intestatus decederet nullo filio legitimo relicto, succedit patronus in omnibus bonis eius, *Instit. de liberis, §. Libertinorum.*

Vndecimo queritur, An qui ob delictum factus est seruus pœnæ, manumitti queat? Respondeo, iure non posse, nisi indulgentia Principis, *Abb in c. Ita quorundam de Iudæis.*

Duodecimo queritur, Quo differat qui est manumissus ab Ecclesia, ab eo qui est manumissus à priuato homine? Respondeo, cum *Hosti.* in primis differre, quod libertus Ecclesiæ in pristinam seruitutem redigitur propter operas quas libet non præstas: ac vero libertus priuati hominis non nisi ratione iniuriæ in Patronum commissæ, aut propter operas necessarias, ac debitas ei denegatas: vt si libertus patrono indigni alimenta non dederit. Deinde filius liberti Ecclesiæ etiam natus post manumissionem, est Ecclesiæ addictus & obligatus, *c. de liberis l. 2. q. 11.* non est tamen idem iuris in filiis aliorum libertorum, *l. 1. C. de liberis.*

C A P. XXXI V.

Quidnam iuris potestatis habeat dominus in seruum.

PRIMO queritur, An dominus vitæ & necis imperium & potestatem habeat in seruum? Caius Iurisconsultus in *l. 1. ff. de iis qui sui, vel alieni iuris sunt*, ait, potestatem dominorum in seruos, esse iuris gentium: nam apud omnes præque gentes animaduertere possumus dominis in seruos vitæ necisque potestatem fuisse: sed hoc tempore nullis hominibus qui sub Imperio Romano sunt, licet supra modum, & sine causa legibus cognita in seruos suos, sanire. Nam ex constitutione Antonini, qui sine causa seruum suum occiderit, non minus puniri iubetur, quam qui alienum seruum occiderit. Sed & maior austeritas dominorum, eiusdem Principis constitutione coercetur. Hæc ille. Hæc omnia ex Caio habet Iulianus Imperator. *Instit. de his qui sui, vel alieni iuris sunt, §. in potestate. Et in l. si dominus ff. eod. tit.* Vlpianus refert constitutionem Pij Antonini cuius verba sunt: Dominorum quidem potestatem in seruos suos illibatam esse oportet, nec cuiquam hominum ius suum detrahi: sed dominorum interest, ne auxilium contra sanctiam, vel infamiam, vel intolerabilem iniuriam denegetur eis, qui iuste deprecantur. Ideoque cognosce de querelis eorum, qui ex familia Iulij Sabini ad statum confugerint. Et si vel durius habitos quam æquum est, vel infami iniuria affectos cognouerit, venire iubet, ita ut in potestate domini non reuertantur. Sic Antoninus subiungit Vlpianus: Adrianus etiam Imperator Vmbriam quandam matronam in quinquennium relegauit, quod ex leuissimis causis ancillas suas atrocissime tractasset. Sic Vlpianus.

Sciendum est, olim apud Romanos dominis licuisse impune seruos occidere: vnde leuissimis ex causis irascebantur

tur

tur seruis, & in eos sauebant: quidam dominus ira periturus suum seruum occidisse perhibetur, eo quod ministrans minimum vasculum fregerit: imo alius quidam, vt placeret puellae quam adamabat, dicenti nunquam se vidisse quomodo quis aliam interficeret, seruum suum statim necari in praesentia illius iussit.

Postea vero tam immanis dominorum in seruos potestas mitior est facta, vt non nisi ob crimen a seruo commissum, & causa cognita dominis liceret seruos impune interimere. Tandem, quia multi conquebantur, quod serui a dominis asperius, & durius, quam par esset, tractarentur; Constitutionibus Imperatorum cautum est, ne domini seruos occiderent, nisi causa criminis ad Praetorem delata, & ab eo cognita; Ne item in seruos immo dicere se uerent & animaduertent. Certe quamuis auctoritate Reipublicae, vel Principis concedi queat, vt dominus tanquam minister ad id constitutus seruum occidat propter ea crimina, quae poenam mortis ipso iure merentur, & eorum causa certo cognita: negari tamen non potest, quin tanta facultas dominis data, multa pariat incommoda, nimirum domini plus iuris sibi sumunt, quam fas æquumque sit, nec negari potest esse barbarum, vt potest immane & crudele, penes dominos esse ius occidendi seruos arbitratu suo, vel leui de causa, vel delicti, & noxae grauitate non satis cognita. Neque enim licet domino seruos suos occidere, ac si pecora sua essent: nam quamuis serui in bonis dominorum numerentur, sicut etiam pecora, ac sunt homines: hominem autem non gratia hominis natura procreauit: pecora autem, sicut ceterae res, gratia hominum natura sunt factae. Et iure quidem gentium bello, emptione venditione, & origine ex ancilla homo natus sit seruus, non tamen ita, vt necati libere a domino possit. Obiicitur: iure belli hostes necari queunt, cur ergo quos iure belli interficere possumus, postea tamen non possumus? Respondeo, id non consequi naminde quoque belli trucidantur hostes in ipsa belli pugna: victi vero finito perfectoque bello, iure interfici nequeunt nisi nouum scelus admiserint.

Secundo quaeritur, An domino acquiratur quicquid per seruum acquirat? De hac questione inferius agetur, cum de stipulatione seruorum sermo erit.

Tertio quaeritur, An seruo fas sit fugere, vt ad suos reuertatur? Certe iuris est, qui bello iniusto capti, & in seruitutem redacti sunt, fugere, & conferre se quo uoluerint. Atque ita cohibet Christiano licet a Turcis, vel Saracenis bello capto, & seruo effecto fugere, quoniam iniusto bello captus est, & iniuste eorum seruituti subiectus. Deinde conuenit inter omnes liberum non esse ei, qui seipsum vendiderit, vel a parentibus gratia egestatis uenierit, vel ex ancilla matre procreatus sit, vel seruus poenae effectus, fugam arripere. Tota igitur quaestio est de ijs, qui bello iniusto capti in seruitutem rediguntur.

Apud omnes itidem constat, ijs non licere fugere, vt libere vagentur, vel sese conferant, quo uoluerint, nec etiam si fidem domino dederint, qua promiserint se nunquam fugituros. Nam iure naturali fides data seruanda, & implenda est. Sed quaestio dubia est, An aliqui liceat eis fugere, & ad suos redire? Duae sunt opiniones: quarum prima negat id esse licitum, alia licitum: quam tunc Glossa in cap. ius gentium distinct. 1. in verbo seruitutes. sic etiam uidentur sentire Archidiaconus, Dominicus, Ægidius, Turrocermata ibidem, B. item Antonius 3. par. tit. 3. cap. 6. §. 4. Nauar. in Manuali. cap. 17. numer. 103. Fortu. in l. Manumissione ff. de iustit. & iure. Siluest. verbo seruitutis, quaestio. 3. vers. scilicet. 2. Ea in primis ratione permouet, quod bello iniusto capti, & serui effecti, in dominium alienum transferunt: sicut etiam animalia, & alia quae liberes bello capti. si uincuntur: ergo sicut furti teneretur, qui haec illis surriperet, sic etiam furtum admittit, qui fugit, nam fuga se domino subtrahit. Deinde. 1. C. de seruis fugitiuis, seruus fugiendo se ipsum domino furatur. Et in l. Si fugitiui, eodem titulo. statuitur, vt deprehensus in fuga puniatur,

vel amputatione alicuius pedis; vel deportatione ad metalla: tam grauis perfectio poenae: non nisi lethali noxae, & peccato irrogari solet. Accedit, quod serui fugientes, si capiuntur, grauissime puniri solent, siue fugam ad suos, siue ad alios arripuerint. Adde his, quod si seruus tuta conscientia fugerit, dominus eum a fuga iure non prohiberet: aut enim penes seruum, aut penes dominum est. Si primum, dominus seruum fugientem impedire iure non potest; si secundum, non uideretur seruus habere ius fugiendi. Postremo in cap. Si quis seruum 17. q. 4. anathemati subijcitur, qui religionis gratia docet seruum dominum suum contumaciter, & eius ministerium deserere.

Secunda opinio contrarium affirmat, eamque probat Couarruias, lib. 1. variar. resolut. cap. 2. nu. 10. Et in reg. peccatum part. 2. §. num. 6. & Sotus lib. 4. de iustitia, quaest. 2. artic. 2. ait, se non audere sic huiusmodi seruum ad eas angustias adigere, ut non possit iure ad suos fugere. Recentiores Theologi Sotum sequuntur, Sotus 2. 2. quaest. 62. in quaest. 3. de domino. art. 5. conclus. 4. Bannes 2. 2. quaest. 40. ar. 1. dub. 13. Couarruias eo argumento mouetur, quod in l. Nihil interest. ff. de captiuis, & postlim. in reuersis dicitur, Nihil interest, quomodo captiuus riuersus est, utrum dimissus, an vi, an fallacia potestatem hostium euaserit: ita tamen si ea mente uenerit, ut nos illuc reuertatur. Vnde Inst. de rerum diuis. §. item. ea, dicitur: Vt & liberi homines in seruitutem nostram deducantur; qui tamen si euaserint nostram potestatem, & ad suos reuersi fuerint, pristinum statum recipiunt. Et idem habetur, Inst. de Quibus modis ius potestatis soluitur, §. si ab hostibus. Et alicubi Principum legibus decretum est, vt si Turca, vel Saracen. iniusto a Christianis bello captus fugiat, eo ipso, quod ad suos peruenit, consequatur libertatem, adeo vt si postea sua sponte redeat ad mercaturam inter Christianos exercendam, cogi non possit ad pristinum seruitutem.

Attamen haec leges non multum pro Couarruias facere uidentur: nam non solum statuunt, vt captiuus sine iure siue iniuria ad suos redierit, gaudeat libertate, & ciuilibus postliminij priuilegijs, ac legibus. Deinde eadem secunda sententia probatur, quia capti bello iniusto, serui facti sunt iure gentium: ac huiusmodi ius gentium, consuetudo, & tacitus populorum & nationum consensu interpretatur, ut ijs, quos dixi, seruis liceat ad suos fugiendo reuerti, quandoquaque commode possunt.

Quidam hanc Couarruias sententiam improbabilem esse putant. Sed certe uisa est mihi semper probabilis, neque enim est cur eiusmodi homines iure belli captos, in eiusmodi angustias redigamus, & tam dure, & seuerius belli interpretemur: & uis & consuetudine receptum apud omnes nationes esse uideretur, vt ijs serui ad suos, ubi commode possunt, fuga se propiciant. Nec tamen inde fit, vt his seruis liberum sit dominis vim uillam asserere, aut eos aliqua arte decipere; quo liberius fugiant sed solum probabitur factum, eos fugiendi, vt reuertatur ad suos, ius habere: quando commode id facere queunt absque mendacijs, fallacijs, vi & dolo. Quemadmodum et si fontibus in uinculis, & carceres coniectis fas est fugere & carere, uinculis & custodia; non tamen uillam vim custodi, aut ministro publico inferre, aut eum dolo, vel fraude decipere: ita & seruo liberum est fugere; sed non dominum iniuria asserere, aut ei manus uolentis asserere, aut ei datam fidem fallere. Ac sicut Magistratus reum criminis iure capit, & fugientem insequitur, per vim comprehensum reducit, & mittit in carcerem, tenet in uinculis, & custodi tradit: ita & domino ius est seruum a fuga etiam vi reducere, & compedibus; & uinculis constringere, ne fugiat, & fugientem donec ad suos redierit, insequi, ac in eum animaduertere, vt deterreat a fuga. Et nihilominus licet seruo, fugae commoditate oblata, sese ad suos fugiendo referre: nec enim iniuria in hoc dominum afficit, aut cum eo fraudulenter se gerit, aut ei vim uillam inferat. Sicut nec reus criminis ex hoc quod fugiat ex carcere, obiecta sibi fugiendi occasione, alteri nocet.

Necesse quod quisquam contra Couarruuiam obijciat, seruum hac ratione seipsum domino furari, ac subrahere: nimirum ille suo iure vitur, cum fugit, & sese recipit ad suos, & domini est ita custodire, vt fugere non possit, quod si non ita custodiat, ipse suis commodis per incuniam ac negligentiam officit, non a seruo iniuriam accipit.

Quicquid sit, dicendum tamen existimo, seruum iure belli captum si ad suos redierit, hostium fines egressus si ac iure, siue dolo & fallacia id fecerit, pristinam libertatem recuperasse, & sui iuris effectum esse, hoc enim leges ciuiles constituerunt vt supra dixi, & id habet ius postliminij, & iura eiusmodi leges censentur.

Quod autem ex *si quis seruum 17. q. 4.* Glossa producit, non multum sane contra Couarruuiam facit: quoniam in eo cap. solum generatim dicitur: *si quis seruum ad fugam induxerit*: ac Couarruuias solum loquitur de seruis iure belli captis: & Glossa, ac reliqui Doctores, esse in vniuersum loquuntur, cum aiunt licitum non esse seruo, iure belli capto, fugere: *id tamen accipiendum est*, ait Couarruuias, *uetus esse fugere, ut liber a quo uoluerit se conferat, alioquin animus referat ad suos, expressi licitum esse non negant.*

Quid si eiusmodi seruus possit commode se pecunia redimeret tunc ne ille tuta etiam conscientia fugiet, vt redeat ad suos? Respondeo, minime, quia ius gentium solum concedit, siue permittit, vt fugiat, quando aliter libertatem recuperare nequit. Quid si dominus qui seruum cepit in bello iusto, cum alteri vendiderit, tunc conscientia talis seruus fugere poterit ad eos, qui illum emit. Poterit quoniam emptor tacita eiusmodi conditio ne emisse intelligitur: nec itidem venditor plus iuris in emptorem transfudit, quam ipse haberet.

Queres, An si foemina iure belli sit capta, & ancilla facta capientis, filium apud dominum susceperit, ius sit eiusmodi filio seruo fugere a domino. Quidam negant, eo quod non sit iure belli seruus effectus, sed in seruitute natus. Contra alij affirmant: quia talis filij seruius ortum habet ex bello. Mihi magis prima opinio placet: quoniam non est seruus ex bello, sed ex conceptu & ortu: & ius gentium solum videtur ius fugiendi permittere ijs, qui proxime ex bello serui facti sunt capientiu, non alijs: hoc enim vsus ipse omnium gentium communis interpretatur.

Quarto quaeritur, An quando bellum non est certo, & euidenter iustum, capti in eo, & serui effecti, licite fugere queant cum commode possunt? Respondeo de ijs seruis dubitari non posse, quin liberum sit eis fugere: nam dominus & seruus pariter, & aequae sunt conditionis, quia eo ipso quod ambigunt, iustum sic bellum, dubitatur etiam iustas captiuitas sit, & seruitus: ac proinde non est potius & maius ius domini, quam serui. Imo maior est haec in parte libertatis fauor, atque ob id maius est serui ius, quo licet ei fugere quocumque uoluerit, domino tamen mea domino, nec vim, nec iniuriam ullam asserat.

Quinto quaeritur, An Christiano iure belli capto, & seruo effecto apud Paganos, & E. haec, quae non sint Christiani nominis hostes, fas sit fugere, vt reuertatur ad suos, Respondeo iuxta Couarruuiam sententia quam probabiliter esse dixi, dubitari non posse, quin licitum ei sit. Na si euilibet seruo in bello capto licet fugere ad suos, multo magis licet Christiano capto a Paganis fuga ad suos reuerri.

At secundum aliorum sententiam non licet, si Pagani Christianos iusto ceperint bello, quoniam ius belli cum seruitute gentium inductum, commune est omnium hominum Christianorum scilicet & Paganorum. Quod si ab huius opinionis auctoribus scire teris, qui facere debeat Christianus seruus, qui fugiendo, ad suos se contulit, Respondeat, ad dominum suum redire debere, si commode potest, cui seipsum furatus est: si quidem iure gentium Domino est fides seruanda, & cuique suum ius reddendum. At nihilominus id facere non cogitur, quia commode id praestare non potest: satis est, si id alia ratione compenset. Nam si redeat ad dominum, spiritus eius salus apud Paganos periclitatur, eo quod in illis deprauati, corrupti-

que vitae mores passim ubique dominantur, aut quod probabiliter timeret se apud illos fidei & religionis Christianae, vel vitae corporalis iacturam passurum, aut duriores & grauiorem, quam antea seruitutem toleraturum. Quare generatim negant, Christianum hominem, qui fuga ad suos rediit, ad Paganos reuerri debere, quoniam facile potest suum reditum alia re compensare, nimirum pecunia, vel alio quouis commode & emolumento, quod tunc aestimetur, quanti ipse aestimari poterit, quando seruebatur, sed quia paulo antea dixi, seruis bello captis ius esse fugiendi ad suos, non est, cur Christianum seruum, qui ad suos fugiendo redierit, his premamus angustiis: praesertim cum non solum dure & ferere, sed etiam nefarie & impie Paganis tractatur.

Sexto quaeritur, An tuta conscientia possit quis seruis iure belli captis consilium dare, opem & auxilium ferre, vt cum primum commode possunt, se ad suos fugiendo recipiant. Qui sentiunt his seruis nefas esse fugam arripere, vt reuertantur ad suos, pariter censent, nec nobis fas esse eis consilium de fuga dare, vel ad eam auxilium praestare. Sui etiam in eos, qui contendunt huiusmodi seruis ius esse fugiendi, & redeundi ad suos, cum negent liberam nobis esse illis, vel consilium dare de fuga, aut auxilium & opem ferre: quia inquit, *ius gentium ipsi seruis permittit vt fugiant, non alijs, ut tale consilium dent, vel auxilium praestent.*

Porro alij cum sentiant huiusmodi seruis licitam esse fugam, sentiunt quoque, ius nobis esse eam ad rem auxilium illis & consilium dandi. Nam exempli gratia, mihi licet consilium tibi dare, vt id facias quod facere iure potes: quod admodum & reo in carcere, & vinculis detento, citra vllum peccatum, consilium a priuato homine datur, vt de custodia & carcere fugiat, cum commode possit. De qua re in alio loco.

Septimo quaeritur, An eum licet seruo ad suos fugere, liceat ei quoque clam domino furari ea, quae sibi sunt ad fugam capiendam necessaria, vt pote alimenta, vestitum & alia huius vitae subsidia quibus sustentetur in itinere, donec perueniat ad suos. Nihil dubij est, si contra leges & iura seruus fuerit a domino damno vel iniuria aliqua affectus, posse eum clandestino aliquid capere, quo suum damnum resarciat, vel iniuriam compenset, cum apud hostes sibi non liceat Magistratum aut Iudicem adire, cuius auctoritate fiat iniuriae damnum accepti compensatio. Item si iniusto bello quis captus sit, potest damna sibi allata, eo quod fuerit inique in sua seruitute detentus, & operas ac obsequia, quae praestare sine debita mercede compulsum est, compensare. Nam vt docet Bartol. in *l. Hostes. ff. de captiuis, & postlimin. reuer.* Innocen. in *c. olim, de res. spo. l. i.* & Panorm. in *c. 1. de qualiter de iudic. & est communis opinio. Cum quis Iudicis officium implorare non potest, priuata auctoritate potest rem suam recuperare nimirum compensatione iusta & legitima uiuendo.*

Tota igitur praesens quaestio in eo versatur, An quando seruus nullo affectus est damno, inops tamen vitae subsidij, quo ad suos perueniat, nisi domino surrepiat, possit illud salua conscientia furari. Annuntio quidam, ea ratione adducti, quod cum fuga licita sit, licitum quoque videatur esse parare victum sibi ad vitam in fuga tuendum.

Alij distinguunt: si Christianus sit seruus apud Turcas & Saracenos, & Christiani nominis hostes, bello captus, sine culpa vlla domino suo furatur victum sibi in fuga necessarium, quoniam Turcae & Saraceni bellum iniustum aduersus Christianorum Principum auctoritate singulis Christianis licitum est bello continuo pugnare, eos suis bonis spoliare ob rationem allatam iusti contra illos belli publice semper indicit: vt videtur docere Caiet. in *2. q. 66. ar. 2.* Si vero Christianus sit ab alijs Paganis bello captus, qui non sint Christiani nominis hostes domino suo alienata vitae licet necessaria furari nequit.

Dicendum existimo in primis, seruo vniuersae fas non esse aliquid domino suo surrepere, vnde habeat, quo se in fuga sustentet: nam etiam si habeat fugiendi, non tamen

furandi

Rom. 3.

furandi aut rapiendi: qua etiam ratione nequaquam seruo licet dominum necare, vt fugiat; immo nec ei vim vllam, aut iniuriam inferre, aut fidem fallere. *Non enim sunt facienda mala, vt veniant bona.* Quare sicut fugere iure non potest, cum illi aliter fuga non patet, nisi dominum occidat: ita etiam ius fugiendi non habet, cum secus fugere nequit, nisi quippiam domino fureretur, aut rapias, spolum enim fuga iure permittitur, non furtum aut rapina; quod si fugerit, ac deinde incet fugiendum nihil habet, quo se ipsum sustentet, tunc perinde est, ac si ad extremam esset egestatem redactus, & licebit ex ijs locis, per quae fugiendo transit, id sibi capere, quod est ad vitam simpliciter necessarium: Nec item arbitror Christiano seruo fas esse, Turcis, & Saracenis, aut a ius Christiani nominis hostibus quippiam furari, aut rapere, hoc est, priuata auctoritate quippiam auferre ipsis inuitis, vel incitis, nisi fortassis, quod est ad fugam necessarium: rapina enim, aut furtum est perse malum, nec propterea desinit esse malum, quia Turca, vel Saraceno, aut hosti fureris. Et quamuis Turca, vel Saraceni, Christianorum terras inique possideant, iniustamque bellum aduersus nos gerant: dubitari tamen nequit, quin aliqua bona iuste habeant, ac possideant ex quibus bonis, si illis aliquid surripias, furtum committis. Vnde S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 8. ad secundum ait: *In tantum aliqui infideles, res suas iniuste possident, in quantum eas, secundum leges terrenorum Principum amittere iussi sunt: Et ideo ab eis possunt per violentiam subtrahi, non priuata auctoritate, sed publica.* Et Caietanus ibi docet, fas non esse alicui priuata auctoritate furari, vel rapere Turcis, vel Saracenis: *secus vero publica auctoritate, videlicet iure belli, quod quilibet Princeps Christianus, habens auctoritatem indicendi bellum, vt suam Rempublicam defendat, potest illis inferre.* sic ille. Quare non licet seruis Christianis ex huiusmodi bonis clam aliquid capere vt fugiant.

Sed quid faciendum, quando Christianus seruus redierit, & ex bonis Turca, vel Saraceni fuerit aliquid furatus, illudne restituere debet? Respondeo, restituendum esse, si id commode fieri possit: aut certe in vltus pios impendendum, nam alienum nemo retinere vlllo iure potest: & cum domino illud reddere commode nequeat, vel quia ignotus est & incertus, vel quia ita longe abest, vt ad eum res sua in tuto nequeat, in pauperes erogari debet, non tam, quia id sit in rem & commodum domini, quam quod Reipublice auctoritate constitutum est, vt res aliena, quae domino restitui non potest, in vltus pauperum impendatur.

Octauo quaeritur, Quot, & quanam seruus domino debeat? Respondeo, in primis debere amorem & beneuolentiam: deinde honorem & reuerentiam: tertio, animum & voluntatem obediens, qua domini iussa exequatur: quarto operas & ministeria, & obsequia: quinto omne lucrum & commodum, vel ex re domini, vel ex suis operis, & labore, & industria partum, vel aliunde, puta donatione acquiritum.

CAP. XXXV.

De peculio seruorum.

Præsentem loco de peculio seruorum agam, vt sciamus quando & quomodo ex obligationibus seruorum domini tenentur actione de peculio.

Libro 1. digestorum titulus primus est de peculio. Porro peculium prisca Romanorum temporibus erat particula quaedam gregis (vnde & nomen accepit) quam patres suis filiis, domini suis seruis Indultra, & diligentiae suae exercendae causa concedebant.

Postea vero peculium dictum est, quod seruus vel filiusfamilias, domini, aut patris permisso, separatim à rationibus dominicis, vel paternis habet, deducto inde, si quid domino, aut parenti debetur, l. depositi. ff. de peculio, l. sed si dominum, §. Praeterea: etiam ff. eod. tit. Graui humani-

tatis ratione apud Romanos est receptum, vt serui, ac filijfamilias, quauis omnino sub potestate essent, nihilque proprium possiderent, haberent tamen aliquid bonorum, permittentibus dominis patrib. in quib. admodum standis specimen edere industriae, & quales essent quandoque futuri in Republica, si sui iuris fierent, probarentur. Egi superius de peculio filiorum, nunc vero de peculio seruorum acturus sum. Porro peculium filiorum est quadruplex l. vlt. C. de iust. test. ac peculium seruorum vnius tantum generis est.

Decimo quaeritur, Quidnam leges per peculium seruorum intelligunt? Respondeo, in l. depositi. ff. de deposito, Tuberonem Iuriconsultum sic delisse: *Peculium est, quod seruus domini permisso separatim à rationibus dominicis habet, deducto inde, si quid domino debetur.*

Secundo quaeritur, An in peculio serui requiratur domini voluntas expressa, an vero sufficiat tacita? Respondeo, satis esse tacitam, l. non solum. ff. de peculio dicitur: *Non solum id peculium est, quod dominus seruo concessit: verum id quoque, quod ignorante quidem eo acquisitum sit, tamen, si rescisset, passurus erat, ut esset in peculio.* Et l. Quam Tuberonis, §. sunt quidam ff. eod. tit. habetur: *sunt quidam, qui putant seruum peculium habere non posse, nisi concedente domino, ego autem puto, non esse opus concedi à domino peculium seruum habere, sed non adiri, vt habeat.*

Tercio quaeritur, An sola domini voluntate seruus peculium habere intelligatur, an etiam necessaria sit ad peculium serui, traditio peculij? Respondeo, requiri traditionem, vel vt peculium pro tradito à domino habeatur. *Non statim, ff. de peculio sic legitur: Non statim quod dominus voluit ex re sua peculium esse, peculium facit. Sed si tradidit, aut cum apud eum esset, pro tradito habetur: desiderat enim res naturalem traditionem: & contrario autem simul atque voluit peculium serui, desinit peculium esse.*

Quarto quaeritur, An quæ seruus ex parsimonia sua parauit, in peculio censetur? In l. peculium. §. ex eo ff. de peculio, ita habetur: *[Peculium & ex eo constitit, quod parsimonia sua quis parauit, vel meruit à quolibet sibi donari, idque velut proprium patrimonium seruum habere quis voluit.]*

Quinto quaeritur, An vestimentum quod dominus dedit seruo, in peculio numeretur? In l. Id vestimentum ff. de peculio, dicit Pomponius: *Id vestimentum peculij esse incipit, quod ita dedit dominus, vt eo vestitus seruum vti vellet perpetuo, eoque nomine ei tradidisset, ne quis alius eo vteretur. Sed quod vestimentum seruo dominus ita dedit vtendum, vt non semper sed ad certum usum, certisque temporibus eo vteretur, voluit cum sequeretur eum, suo caenanti ministraret id vestimentum non est peculij.*

Sexto quaeritur, Quæ res possint esse in peculio? In l. Quæ Tuberonis §. in peculio, ff. de pecul. ait Vlp. *In peculio autem res esse possunt omnes, & mobiles, & soli. Vicarios quoque in peculium potest habere. Vicariorum quoque, peculium hoc amplius, & nomina debitorum. Sed etsi quid furti actione seruo debetur, vel nlla actio, in peculio computabitur: hereditas quoque, & legatum, vt Labeo ait sed & id quod dominus debet, sibi in peculio habebit, si forte in dominationes impendit & dominus ei debitor maverit: voluit: aut si debitor eius dominus conuenit. Sed & si quid ei conuenit debet, erit peculij. Si modo ille habet peculium, vel prout habebit. Sic ille.*

Septimo quaeritur, Quis possit constituere, vel habere seruum peculium gerentem, aut administrantem? In l. Licet, §. parui autem ff. de peculio, sic dicit Vlpia: *parui autem refert seruus quis masculi, an mulieris fuerit: nam & de peculio mulier conuenitur. Pater etiam impuberes dominos, de peculio obligari ait: non enim cum ipsi impuberibus contrahitur, vt tutoris auctoritatem spectemus. Idem adicit: pupillum non posse seruo peculium constituere, nec tutoris auctoritate. In serie si quoque curatorem dicimus dandum de peculio actionem: nam & huius seruus peculium habere potest, non si fuerit concessum, vt habeat, sed si non fuerit prohibitum, ne habeat.*

Octauo quaeritur, Quando & Quomodo peculium minuitur, vel finitur? In l. peculium est, ff. de pecul. ait Pompon.

serui